QUAESTIONES PROPERTIANAE.

ERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA QUAM CON-
SU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILO-
SOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

DIE XIX MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXXVI HORA XI

IN AUDITORIO MAXIMO UNA CUM SENTENTIIS
CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET AUCTOR

KAROLUS WEBER
SAXO BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
J. WICHMANN, CAND. PHIL.
G. JUERGENS, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXVI.
FORMIS KARRASIANIS.

Propertii carmina ex quo primum tractari coepta sunt, propter interruptum sententiarum nexum copiosissimam viris doctis controversiarum materiam praebuerunt. Ac Scaliger (ed. Cat. Tib. Prop. Parisiis 1577). cum sententias haerere sentiret, transpositionibus singularum carminis partium perpetuum sententiarum nexum restituere conatus est. Cujus auctoritas proximis saeculis tantum valuit, ut plurimi qui Propertio operam dederunt, illam rationem sequerentur, velut Broukhusius (ed. Amstelodami 1702) Burmannus (ed. Trajecti ad Rhenum 1780), cum pauci in quibus erant: Vulpius (ed. Paduae 1755) Barthius (ed. Lipsiae 1777) ordinem codicibus traditum retinere et quacunque ratione poterant, interpretari studerent. Nostro demum saeculo Lachmannus, vir imprimis de Propertio meritus, artem criticam et interpretationem ad sanam rationem revocavit. Primum enim transpositionibus Scaligeri rejectis codicum autoritatem restituit et duos e congerie reliquorum elegit, in quibus omne fundamentum textus restituendi positum esse docuit, e quibus primum locum tribuit codici Groningano, secundum codici Neapolitano. Tum interruptum sententiarum nexum e codicum defectu repetendum esse demonstravit et ubicunque sententiae haerebant, asterisco interposito lacunam indicavit. Cujus ratio cum novitate tum probabilitate tantum placuit, ut ab omnibus fere viris doctis — excepto una Hertzbergio (ed. Halae 1843—45) — acciperetur, ita tamen, ut ab aliis artius constringeretur, ab aliis latius propagaretur. Jam ea sola quaestio restat, num conexus carminum etiam interpolationibus interruptus sit. Ac Lachmannum ipsum non paucis locis codices interpolatos esse cognitum habuisse satis multa

exempla, quae extant in prima editione (Lipsiae 1816) comprobant. Sed idem in altera editione Propertii (Berolini una cum Catullo et Tibullo expressa 1829), cum id spectaret ut codicum scripturam quam maxime posset incorruptam ederet, (cf. Hermes V, p. 44), omnes fere versus, quos in prima editione uncis incluserat, in continuum verborum ordinem recepit. Neque tamen hac ratione persuasit Paldamo, qui in libro „erotica Romana" inscripto (Gryphiswaldae 1833) Propertii carmina non solum lacunosa sed etiam interpolata esse pronuntiavit (p. 70). Accuratius autem de hac re primus quaesivit Keilius (quaestiones Propertianae Bonnae 1843), qui codicem Groninganum, firmissimum Lachmanni artis criticae subsidium, interpolatum esse exemplis allatis demonstravit. Eandem argumentationem persecuti sunt Hauptius (in indic. lect. hib. 1854, 1856 opusc II. p. 52 seq. p. 101 seq.) et Heimreichius (quaestiones Propertianae Bonnae 1863) qui cum exempla nonnulla quae a Keilio omissa erant, adderent, quaestionem illam de Groningani interpolationibus ad finem perduxerunt. Jam vero vix est dubium, quin praeter illas interpolationes quae in codice Groningano inveniuntur etiam multi versus spurii antiquissimis temporibus in Propertii carmina illati sint. Nam cum omnes fere poetas Romanos, imprimis aureae aetatis poetas in scholis rhetorum non solum diligenter tractatos sed etiam saepe interpolatos esse veri sit simile, mirum sane esset, si a Propertio solo manum abstinuissent, praesertim cum carmina ejus et propter ornamentum rhetoricum et propter doctrinam mythologicam, quam doctissimus ille poeta more Alexandrinorum jactabat, facillimam iis interpolandi occasionem offerrent. Qua de re cum multa a viris doctis in commentationibus de singulis Propertii elegiis scripta extent, operae pretium est, hanc quaestionem accuratius excutere et quid Propertio tribuendum, quid ab eo abjudicandnm sit, argumentis confirmare. Cum tamen fieri nequeat, ut omnes Propertii libros tam paucis paginis absolvamus, imprimis tertii quartique libri (sequor numeros editionis Muellerianae Lipsiae 1870) exempla proferemus. Ab iis autem versibus hanc disputationem incipiendam esse arbitror, quos Lachmannus in editione majore

(Lipsiae 1816) spurios esse judicavit, ex quibus tria exempla hoc loco afferam, cum ex iis vel maxime intellegatur quomodo carmina Propertii interpolata sint, et quid potissimum in hac quaestione spectandum sit.

Ac primum apertae interpolationis vestigium prae se ferunt versus V, 5, 55—56 de quibus Lachmannus disputavit ad IV, 7, 23—24 p. 262:

53. Aurum spectato, non quae manus afferat aurum,
versibus auditis quid nisi verba feres?
Quid juvat ornato procedere vita capillo
et tenues Coa veste movere sinus?
Qui versus Coae dederit nec munera vestis
istius tibi sit surda sine aere lyra.

Primum igitur magnam suspicionem movet, quod versus 55—56 etiam in alio carmine leguntur: I, 2, 1—2 hoc conexu:

Quid juvat ornato procedere vita capillo
et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere murra
teque peregrinis vendere muneribus
Naturaeque decus mercato perdere cultu
nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi non ulla tuaest medicina figurae;
nudus Amor formae non amat artificem.

Quamquam autem saepius accidit, ut iidem versus a poeta repetantur, tamen nisi in eodem vel simili conexu hoc fieri non potest. Jam vero in carmine I, 2 sententiarum nexus prorsus diversus est ab eo nexu qui in carmine V, 5 intercedit. Illic enim poeta amicam dehortatur, ne se nimio cultu ornet, cum ipsa per se satis pulchra sit, hic de muneribus agitur, quae amatores puellis offerre solent. In illo carmine interrogatio: „quid juvat“ et suavissima illa allocutio „vita“ id spectant, ut asperitatem ejus rei quam poeta ab amica petit, — scilicet ut omnem cultum abjiciat — mitigent, hoc loco quid illa sibi velint, non intellego. Quare Lachmannum rectissime judicasse arbitror, quod auctore Scaligero illos versus e contextu verborum exclusit (ed 1816 p. 367). Sed Jacobus qui multa in sua editione Propertii (1827) feliciter defendit, quae Lachmannus juvenili ardore

et artis criticae exercendae studio tractus emendaverat, hos quoque versus Propertio vindicare studet, cum ita interpretetur (p. 222): recitat pessima anus in Propertii irrisionem illos versus et praeceptum subsequens iis adjungit ex re ipsa desumptum.

Hoc nititur Hertzbergius, qui ut in omnibus, ubi librorum auctoritas agitur, sic hoc quoque loco Lachmanno adversatur (in commentario p. 455). Sed non contentus illos versus excusavisse, tantopere eorum pulchritudine captus est, ut quasi nervos totius carminis eos appellet, Scaligerumque hac una licentia carmen V, 5 pejus decurtavisse pronuntiet, quam ullum praeterea alterum. Jam vero quid contra Jacobi Hertzbergiique interpretationem dicendum sit, proferamus.

Primum enim anus illa, siquidem Propertium irridere volebat, tales versus afferre debebat, quibus poeta pulchritudinem puellae laudaret; haec autem verba, in quibus de veste Coa et de ornatis capillis agitur, quamnam irrisionem continent? Atque hoc quidem levioris momenti est et fortasse excusatur. Sed accedunt grammaticae rationes. Nunquam enim fieri potest, si in oratione lenae poetae versus recitantur, ut ne minima quidem nota indicetur, haec Propertii, illa anus verba esse. Id autem hoc loco multo fit intolerabilius, quod Propertii verba eadem particula interrogativa adnectuntur, qua anus modo in ipsius oratione usa erat. Jam si interrogatio eadem particula continuatur, non potest sensu diversa esse a praecedenti. Atqui verba versus 54: „quid nisi verba feres“ rhetorice dicta sunt, pro: nihil nisi verba feres. Ergo eodem modo sequentia interpretanda sunt pro: nihil j u v a t procedere, quo quid sit perversius vix potest dici.

Quare illam Jacobi et Hertzbergii interpretationem, qua id non providetur, ne poetae verba eo sensu intellegantur, quem ego dudum exposui, rejiciendam esse arbitror.

Id solum restat, ut quomodo interpolatio orta sit, explicemus, qua in re a verbis versus 57:

Coae dederit nec munera vestis.

proficiscendum est. Fortasse enim is, qui haec verba legebat, illos secundae primi libri elegiae versus ad marginem

exemplaris sui adscripsit, unde librarius eos cum omissos esse existimaret, in continuum versuum ordinem recepit atque ad illam praecedentis versus (54) interrogationem cum qua specie consentirent, adjunxit. Hinc molesta illa repetitio verborum: Coa vestis, perversa illa interrogationis continuatio ceteraque omnia quae hoc loco offendunt, originem duxere. Quanto melius autem sententiae progrediantur, si versus illos ejiciemus, ipse licet adspicias:

Aurum spectato non quae manus afferrat aurum;
  versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus Coae dederit nec munera vestis
  istius tibi sit surda sine aere lyra.

Quae cum ita sint, vix potest dubium esse, quin versus 55—56 pro vetere archetypi interpolatione sint habendi.

III, 18, 1—4.

Tu loqueris cum sis jam noto fabula libro
  et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis adspergat tempora sudor?
  aut pudor ingenuus aut reticendus amor.

Verba secundi distichi inde a Scaligero usque ad Lachmannum sic legebantur:

Cui non his verbis adspergat tempora *surdo*
  aut pudor ingenuus aut reticendus amor?

Quod quamquam Lachmannus et codicum auctoritate et propter sensus difficultatem falsum esse comprobaverat, tamen extitit, qui defenderet. Hertzbergius enim (in interpretatione germanica 1837 p. 117) his versibus poetam sic loquentem inducit: quis est tam surdus, cui non aut pudor ingenuus aut reticendus amor tempora adspergat? Sed primum constructionem illam „cui non . . . . . surdo“ pro „quis est tam surdus, cui non . . . . .“ in hac collocatione verborum nemo ferre potest; deinde objectum desideratur quo alicui tempora adspergi significatur; tum: amor reticendus alicui tempora adspergit, num latine dici possit valde dubito; denique aptius versus 3—4 amico quem Propertius sibi obloquentem facit, quam poetae ipsi tribuuntur, qui quinto demum versu illis opprobriis respondet. Quare non est dubium, quin Lachmannus (ed. 1816 p. 184), ut plurimis

locis, sic hoc quoque loco veram poetae scripturam, optimorum codicum auctoritate firmatam restituerit. Idem tamen de pentametri verbis:

aut pudor ingenuus aut reticendus amor

plane desperavit. Ac primus ut priorum commenta praetermittam, pentametrum accuratius explicavit Jacobus (ed. 1827 p. 169), qui Groningani scriptura „at“ recepta hoc modo interpretatus est: (Cui, inquis, non his verbis sudor tempora adspergat), sed aut dissimulandus pudor aut amor reticendus est; in reticendi verbo latet per zeugma ad pudorem pertinens synonymon dissimulare. Attamen primum ex interpretatione ipsa elucet, Neapolitani scripturam „aut“ praeferendam esse, cum Jacobus pudorem et amorem ita opponat, ut tertium excludatur; tum si quidem „dissimulandus“ ex „reticendus“ supplendum est, quod negat Hertzbergius (p. 168), „ingenuus“ non solum supervacuum est (cf. interpretationem ipsam), sed etiam symmetriam verborum conturbat, cum alterum substantivum „amor“ epitheto careat. Equidem in hac verborum collocatione „ingenuus“ intellegi posse nego nisi praedicative positum, ut respondeat alterius membri praedicato: reticendus. Quid tamen illa verba significent, aut pudor ingenuus est aut amor reticendus est, prorsus non perspicio. Haec non dubito quin causa fuerit cur Hauptius quem sequitur Muellerus (ed. 1870 p. 47) „aut“ bis in „haud“ emendaret et metrico illo vitio, cum „ingenuus“ ante vocalem producta syllaba brevi positum esset, sublato hanc pentametri formam in textum reciperet:

haud pudor ingenuis haud reticendus amor.

Atque sensus verborum quis sit, elucet. Nempe significant: Non pudet te sicut ingenuos decet, non potest amor reticeri. Sed praeterquam quod hac quoque interpretatione conexus sententiarum non clare perspicitur, ea difficultas mihi remanere videtur quod amor reticendus significat: amor qui a te reticeri *potest* (aliter enim reticendus nullum sensum habet), quam vim in gerundivo inesse nego cum neque vulgaris usus hanc notionem comprobet, nec Propertius ipse eam agnoscat:

IV, 7, 26. aut tua cum digitis scripta silenda notas.
14, 2. nec veniat sine te nox vigilanda mihi.
16, 39. haec ego non humili referam memoranda cothurno
quaeque in eodem libro inveniuntur: 7, 49. 8, 3. 10, 49. 14, 38. 17, 24. 20, 16. 22, 15.

Jam sola restat — nam Hertzbergium, qui (p. 169) explicat: et sane pudere me oporteret dicti, nisi Cynthia ipsa foedus violasset, satis habeo commemorasse — Drenckhahnii interpretatio (acta Berol. in usum gymnas. ed. 1868 p. 188): aut pudore adductus tacere debebas aut amor tibi reticendus erat. Sed eam quoque magis circumscriptionem esse quam interpretationem, si verba ipsa quae in codicibus leguntur comparabis cognosces; ex iis enim nunquam haec sententia elici potest, nisi id quod totius carminis conexus postulat conjectura supples.

Quare cum verba per se ipsa aptum sensum non praebeant, nec facile possint emendari, nisi totum versum pervertis, cum praeterea metrica illa difficultas accedat, quod in verbo „ingenuus“ brevis syllaba ante vocalem producta est, haud scio an Lachmannus in prima editione recte judicaverit, quod hunc versum pro genuino pentametro suppositum existimavit, scilicet a sciolo aliquo, — ut ipsius verbis utar, — qui bene quidem unde sudor in amore saepe orietur sciret, ceterum hic quid ageretur non prorsus perspiceret.

Reliquum est, ne quos praeteream qui de hac elegia scripserunt, ut Heimreichii mentionem faciam, qui (novae quaestiones in symbolis philologorum Bonnensium p. 672) versus 1—8 hujus carminis a poeta abjudicandos esse censet. Quae sententia parum habet probabilitatis. Nam primum particula conclusiva „quare“ versum nonum cum praecedentibus arte cohaerere indicat, tum etiam proximorum versuum sententia intellegi nequit, si primis distichis carebis. Longiore autem refutatione supersedeo cum Drenckhahnius (acta Berol. p. 188) accuratissime de conexu totius carminis disputaverit.

IV, 21, 25—26.

23. Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
scandam ego Theseae brachia longa viae;

Illic vel studiis animum emendare Platonis
incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
librorumque tuos, docte Menandre, soles.

Ex his versus 25—26 primus Lachmannus uncis inclusit (ed. 1816 p. 318). Permulta enim in iis insunt, quae suspicionem moveant. Ac primum displicet, eadem vocabula (docte Epicure, docte Menandre, studiis Platonis, studium linguae) tam brevi spatio interjecto repeti quod casu accidisse vix quisquam comprobabit. Neque Hertzbergio assentior, qui (p. 370) alterutrum distichon a poeta fortasse ad marginem adscriptum et futurae recensioni servatum ordini reliquorum ab amicis insertum esse conjicit. Nam amici superstites num carmina Propertii ediderint, — qua sententia imprimis ille nititur (quaestiones Propertianae p. 219), — valde dubium mihi videtur esse. Qua de causa facere non possumus, quin alterutrum distichon interpolatum esse putemus. Attamen multi viri docti hos versus emendare quam a Propertio abjudicare maluerunt. Ex quibus Broukhusius (ed. 1702 p. 310) „dux Epicure“ scripsit, doctrinam Menandro vindicans, alii qui Menandrum doctum esse negarent, eum cultum, comptum, mundum, scitum appellaverunt. Jam eligas quid de tanta epithetorum copia potius poetae tribuas: videbis quam periculosum hoc totum genus conjectandi, magis ludendi quam argumentandi causa exercitatum, sit habendum.

Multo etiam difficilius res se habet de altera repetitione. Huc enim primum accedit, quod „studia Platonis“ pro: studiis, quibus Plato vocabat dictum est, — quod latinum esse negavit Lachmannus, elegantissime dici affirmavit Hertzbergius — tum quod non recte studia Platonis hortis Epicuri opponuntur. Quare Broukhusius (loco supra allato) vel stadiis vel spatiis emendandum proposuit, ex quibus alterum (stadiis) Hertzbergio, alterum (spatiis) Huschkio placuit.

Ex quibus satis perspicies quanta sit offensio in repetitione eorundem vocabulorum et quam non sit verisimile, ex iis quae codicibus tradita sunt, hoc loco quid vere poeta scripserit, siquidem eos versus scripsit, eruere.

Sed omittamus hanc quaestionem et de alio nec minus gravi vitio quo hic locus deformatus est, disputemus. Particulas enim disjunctivas „vel-aut“ a Romanis aureae quidem aetatis ea quae hic extat collocatione usurpatas esse Lachmannus primus negavit. Ac Jacobus (ed. 1827 p. 208) rem in medio reliquit, cum neque ipse contra Lachmannum ut diceret sibi persuadere posset, neque Jacobsio qui in anthologia adversarias partes susceperat, prorsus assentiretur. Sed post accuratissimam Keilii disputationem (Bonnae 1843 p. 48—52) dubitatio nulla esse potest, quin in justa oppositione „vel-aut“ non possit collocari, quamquam satis multa exempla extant, in quibus orationis variandae causa particulae illae promiscue usitantur. Neque Hertzbergius evincit, particulae „vel“ hoc loco vim intensivam tribuendam esse, ut eodem modo intellegatur, quo Lachmannus (in adnotationibus p. 320) II, 2, 6 interpretatus erat. Nam simpliciter opponuntur: „studia Platonis“ „horti Epicuri“ neque alterum altero majorem sonum accipit. Recte id quoque Keilius (l. s. a.) monet, illos versus si ejiciemus et transitum deesse et particulam „aut“ secundo loco positam ferri non posse. Nec tamen ita ei assentior ut lacunam in hoc loco inesse existimem, sed hoc modo interpolatorem egisse censeo, ut „illic“ ex versu 27 desumeret, et suis fictis verbis praefigeret, ceterum ordinem per „aut“ continuaret. Quare sic emendandum esse arbitror:

Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
  scandam ego Theseae brachia longa viae;
Persequar *hic* studium linguae, Demosthenis arma,
  librorumque tuos, docte Menandre, sales.

Quod autem Keilius de particula „illic“ dicit, non habere quo referatur — quod idem de nostra conjectura „hic“ valeret — non agnosco. Nam cum poeta in initio carminis se Athenas iter facturum esse pronuntiasset, cumque in praecedentibus verbis: Piraei portus, longa brachia Theseae viae clarissime Athenarum significatio inesset, non opus erat iterum disertis verbis Athenarum nomen apponi. Atque similiter „hic“ usurpatur III, 28, 16.

hic locus est in quo tibia docta sones.

ubi non ad proxime praecedentia verba, sed ad convivia,

quae in versu 13 commemorantur referendum est, in quibus tibiarum usus frequentissimus erat. In eodem carmine, versu 37

hic ubi me statuent in prima parte choreae

particula „hic“ non ad Bistonias illas rupes quae in praecedenti versu afferuntur pertinet, sed ad roscida illa antra, quae in versu 26 nominantur. Illic enim sorores illae versantur, quarum de choreis poeta in v. 37 loquitur. Idem judicandum est, de v. IV, 6, 47:

non tulit *hic* Paetus stridorem audire procellae.

Ibi quoque sententiarum nexus indicat, particulam „hic“ ad mare de quo v. 30—42 agitur, referendum esse quod hoc loco non grammaticis illud quidem sed logicis rationibus praevalet, ita ut lacuna quam Keilius (p. 46) ante hos versus collocat, carere possimus.

Ex iis exemplis quae attuli satis apparet, quam variis rationibus Propertii carmina interpolata sint, cum modo versus ad marginem adscripti in textum ipsum irreperent, ut V, 5, 55—56; modo ficta verba pro genuinis substituerentur, ut III, 18, 4, modo poetae verba amplificarentur, ut IV, 21, 25—26. Jam unam his exemplis elegiam addere liceat, quae viris doctis vel maximam controversiarum materiam praebuit quamquam omnia constant, dummodo interpolatos versus e contextu verborum removeas.

III, 28, 19—22.

Ac primum de conexu hujus elegiae dicam, quia magna pars quaestionis e sententiarum nexu dijudicanda est. Prorsus autem de consilio atque dispositione carminis viri docti dissentiunt. Lachmannus enim (p. 207) versus 1—22 ad Cynthiam scriptos esse contendit, quibus illam retineret ne castra (21—22) sequeretur; itaque codicum scripturam (v. 19) „dure“ in „dura“ emendavit. Concedo, saepe mulieres in castris versatas esse, vel ut virum vel ut amicum comitarentur, sicut Cynthiam ipsam poeta incusat quod in Illyriam proficisci velit ut praetoris castra sequatur I, 8, 1—2:

Tunc igitur demens nec te mea cura moratur,
an tibi sum gelida vilior Illyria?

At quae in nostro carmine sequuntur (v. 21—22): spar-

gere caede penates, praemia dira ad patrios lares referre de femina nullo modo possunt dici nisi forte Cynthiam Amazona existimas. Sed ut recedamus ab illo argumento, quoniam versus 19—22 interpolatos esse infra demonstrabimus, tamen versus 13—18 ad Cynthiam nihil pertinent, quippe quam sermones hominum plane contempsisse poeta dolet: II, 5, 1—2, 29—30:

Hoc verumst tota te ferri Cynthia Roma
et non ignota vivere nequitia?
Crede mihi *quamvis contemnas murmura famae,*
hic tibi pallori Cynthia versus erit.

Neque Keilio assentio qui (p. 24) Propertium his versibus id spectasse interpretatur, ut Cynthiam amorem sui abjicientem retineat. Nam vix est credibile, Cynthiam si amorem poetae abjicere vellet, extremas terras petituram fuisse, praesertim cum semper illam levem ac perfidam esse poeta plurimis locis queritur velut I, 15, 1—2:

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam
hac tamen excepta Cynthia perfidia.

Aliam sententiam Hertzbergius (p. 200) proposuit, qui poetam secum colloquentem facit, quem sequitur Drenckhahnius (acta Berol. p. 267). Sed versus 13—14:

Ista tenes licet accusent conviviaduri
nos modo propositum, *vita,* teramus iter.

satis demonstrant, haec verba ad alium scripta esse, cum nemo hoc modo ipse secum colloquatur. Haec non dubito quin causa fuerit cur Lindnerus (Fleckeiseni annales philologici vol. X p. 836) cum Hertzbergii sententiam sustentare studeret, versus 13—18 post versum 36 collocandos censeret. Sed quid in illo sententiarum nexu morosorum senum dicta sibi velint, cum de amoribus Jovis et de choreis Musarum agatur equidem me ignorare confiteor.

Denique Heimreichii sententiam commemoro qui totum carmen ex quattuor laciniis constare pronuntiavit (quaest. Prop. p. 18—19): versus 11—12 pannum carminis esse ad amicum scripti, 13—18 fragmentum elegiae ad Cynthiam missae, v. 19—22, v. 23—40 aliorum carminum fragmenta.

At cohaerere singulas elegiae partes scilicet exceptis versibus 19—22 postea demonstrabimus. Priusquam autem ipsi hanc quaestionem disceptemus, cui tandem versus 1—18 tribuendi sint, ad carmen IV, 21 accedamus, ex quo hic locus plurimam lucem mihi accipere videtur. Initio enim ejus carminis haec leguntur:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectanti cura puellae,
ipsa alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt temptata mihi quacunque fugari
possit, at ex omni me premit iste deus.
Vix tamen aut semel admittit cum saepe negarit,
seu venit extremo dormit amicta toro.
Unum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
quantum oculis animo tam procul ibit amor.

Satis ex iis versibus elucet poetam nimio puellae amore abreptum sed variis modis a Cynthia illusum in alias terras abscedere constituisse. Quid? si primam partem carminis III, 28, versus 1—18 Cynthiae tribuimus quae fugientem poetam blandis verbis retinere studet? Nempe id imprimis feminarum est, ut modo asperitate et duritia amatorem repellant, modo exquisitissimis blanditiis repulsum ad se alliciant. Cum hac interpretatione melius conveniunt versus 11—12:

Et jam si pecces deus exorabilis ille est,
si modo praesentes viderit iste preces.

quippe quos femina potius ad desperantem amatorém scribere soleat, quam amatorem ad puellam amatam mittere deceat. Denique hi omnes versus tantam sententiarum elegantiam ostendunt, tantam suavitatem animi spirant, tantisque facetiis compositi sunt, ut aptissime feminae amatorem blandis verbis retinenti tribui possint, praesertim cum Cynthiam in versibus componendis non rudem fuisse constet.

I, 2, 27—30:

Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
Aoniamque libens Calliopea lyram,

Unica nec desit jocundis gratia verbis
omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat.
4, 13 multis decor artibus
7, 11 Me laudent *doctae* solum placuisse puellae
idem fere III, 4, 11.

Quare prima pars carminis quin Cynthiae adscribenda sit ex iis quae dixi vix potest dubium esse. Idem jam Jacobus (p. 178) suspicatus est, sed sententiam suam tam cunctanter protulit, ut nemo adhuc ad eum respexerit.

Nunc vero de altera hujus carminis parte, quomodo cohaereat cum praecedenti pauca dicemus.

Ac Lachmannus, quo erat ingenio, cum vidisset non posse haec omnia ab una persona continuari postquam primam partem jam Propertio tribuit, versum 23 novi carminis principium fecit, cujus elegans judicium Hertzbergius recte aestimare si voluisset, non hoc toto carmine usque ad v. 25 poetam secum colloquentem induxisset. Sed ne tempus in refutandis solum sententiis consumam, conexum ipsum expediam.

Versus enim 23—25:

Una contentum pudeat me vivere amica?
hoc si crimen erit, crimen Amoris erit,
Mi nemo objiciat.

ad alterius partis versus 13—18 pertinent, quibus Cynthia poetam verita ne Roma discederet, adhortata erat, ut sermonem tristium senum qui id tantum spectarent, ut ipsorum amorem discinderent (cf. v. 14), contemneret. Propertius illorum sermone se tangi negat, immo cum in Cynthia sola omnem amorem positum esse profiteatur (cf. v. 23 *una amica contentum*) statim initio orationis illius animum de fuga fortasse iratum sibi conciliat. Fugam autem ipsam ita excusat, ut desiderio se teneri dicat, Musarum sedes in Graecia videndi atque omnem puellae suspicionem ut disjiciat, eam ipsam adhortatur ut secum iter illuc faciat (v. 25 seq.). Nam etiamsi Musarum antra etc. ita a poetis Romanis usurpantur, ut quem libet locum fictum significent (cf. Hor. Od. 1, 1, 30—31. Prop. IV, 1, 2) tamen cum poeta *Cynthiam* adhortetur, ut ipsum illuc comitetur

(v. 25 libeat tibi mecum antra tenere) de loco ficto vix potest cogitari. Quodsi probatur, Graeciam illis verbis significari verisimillimum videtur; illic enim poetae, si quando nomina addunt, Musaram sedes etc. collocant (Prop. III, 1, 1. IV, 2, 1). Haec interpretatio vel maxime illo carmine confirmatur quod supra commemoravimus IV, 21, ubi aperte poeta de itinere in Graeciam faciendo loquitur. Aptissime autem ultimis versibus totam elegiam concludit. Nam non solum elegantissime puellae blanditur; sed etiam summam stultitiam futuram fuisse demonstrat, si ab illa discessisset, sine qua ingenium nihil valeret.

Ita finis carminis ut apud Propertium fieri solet, ad initium redit, et varias quas poeta percurrit sententias ad eandem elegiam pertinere indicat.

Jam vero in hoc sententiarum nexu quem modo exposuimus, quid sibi versus 19—22 velint, non intellegitur. Primum enim sine ullo nexus detrimento iis carere possumus, quod etiamsi in uno vel duobus versibus facile accidere potest, tamen si ad quattuor versus pertinet suspiciosissimum est. Quid vero illis ejectis proficiamus apparebit. In duas enim partes pari numero distichorum haec elegia dividitur, quarum altera orationem Cynthiae v. 1—18, altera Propertii orationem v. 19—36 (nunc v. 23—40) continet. Artissime autem illae partes cohaerent, cum poeta Cynthiae ipsum in fine orationis inde a. v. 13—18 vituperanti statim principio alterius partis v. 23 occurrat.

Neque solum v. 19—22 *supervacui* sed etiam *inepti* sunt. Ineptum est, quod illa interrogatio in fine orationis Cynthiae repetitur, molestum est quod quattuor versibus repetitur cum in initio carminis dimidiam unius versus partem compleat; tum nullus conexus cum praecedentibus versibus intercedit, nec facile interpretatione hanc rem expedias, cum oratio Cynthiae versu duodevicesimo aptissime concludatur. Quomodo tandem illi versus cum proxime insequentibus inde a v. 23 cohaereant, nemo adhuc docuit. Immo nullus conexus intercedit. Nam quamquam Cynthia ultimis verbis orationis suae ea omnia quae in versibus 19—22 leguntur ex poeta quaesiverat, tamen is ne uno

quidem verbo ejus interrogationis meminit, sed statim ad ea quae ante illa verba praecedunt, transit cum suspicionem Cynthiae (v. 13—18) falsam esse demonstret (v. 23—25). Ac ne postea quidem ad verba v. 19—22 recurrit, sed ad illam primi versus interrogationem se convertit, et fugam ita excusat ut Cynthiam simul adhortetur, ut ipsum in itinere comitetur.

Ex hoc poetae silentio, qui iis quae proxime Cynthia quaesiverat, plane neglectis ad cetera omnia potius responderet, satis certo concludere licet, illos versus 19—22 ab interpolatore excogitatos esse.

Iam ad verba ipsa accedamus, in quibus sive emendandis sive interpretandis doctissimi viri magnam operam frustra collocaverunt. Primum igitur in versu vicesimo suspiciosum est adjectivum „nota" ad „litora Hyrcani maris" appositum; quaeritur enim: unde nota? Litora nota — ita explicant interpretes — ea sunt, quae nunc bellis innotescunt. Quid? litora nota, utrum sunt ea qnae innotescunt, an potius ea quae innotuerunt? deinde ubinam de bellis quibus illa litora innotescere dicuntur, hoc toto carmine legitur? Nam ea quae sequuntur in versibus 21—22 ob eam scilicet causam interpolata mihi videntur esse, ut illud obscurum: notum explicarent. Quare Heinsius „lata" litora emendavit, non assentiente Lachmanno cui magis placuit, quod Statius (silv. III, 1, 3) exhibet:

Quod ceteris majore tholo nec litora pauper
nuda tenes.

Recte autem Hertzbergius (p. 202) adnotat, litora montuosa et silvestria (Plin. Nat. Hist. IV, 15. Arr. III, 22. Pomp. Mela III, 5. Strab. XI, 6, 7. Luc. Phars. III, 268) neque lata neque nuda appellari posse. Iam vero quod ipse proposuit cum „nauta" pro „nota" scribendum esse conjiceret, prorsus otiosum est et ad sequentes versus (21—22) si spectamus ubi de milite agitur (cf. alterna caede spargere), ne aptum quidem. Nec magis placet Muelleri conjectura (p. 56):

et petere Hyrcani litora *Eoa* maris.

Nam aut Eoum mare aut Hyrcanum mare sufficiebat,

sed si conjungimus „litora Eoa Hyrcani maris“ adjectivum „Eoa“ plane supervacuum est, praesertim cum verba: Phrygiae undae in proximo versu praecedant, ita ut de alia regione atque de Oriente cogitari nequeat. Ex quibus satis elucet, quanta sit offensio in una voce: nota.

Nec minus offendit conjunctio particularum: jam nunc in versu 19. Nam cum sensu minime quadrant, quia nusquam de certo quodam tempore dicitur ad quod „jam nunc“ referri possit. Huc accedit, quod apud Propertium hae particulae nunquam conjunctae inveniuntur, quamquam alterutra saepissime legitur. Quid? quod ambae particulae idem fere significant et promiscue a poetis usurpantur?

Maximas vero difficultates sequentes versus exhibent:

Spargere et alterna communes caede penates
et ferre ad patrios praemia dira lares.

Nam „communes penates“ et „alterna caede“ contortius dictum est, quam ut a Propertio, quamvis durus sit poeta, profecta esse arbitrer. Quin etiam illa verba plane inter se repugnant. Alterna enim caede in hoc sententiarum nexu quo potest referri nisi ad Propertium et Cynthiam? nempe de aliis nullus sermo est. Eodem nimirum pertinent verba: communes penates spargere. Intellegisne quo amentiae Propertius progressus sit, siquidem illos versus ei tribuemus? At aliam interpretationem Lachmannus (p. 208—9) protulit:

interpretatio Lachmanni	verba codicibus tradita
num tibi adhuc sedet	num jam nunc paras
nos qui una viximus	communes penates
bello et alterna tui	alterna
hostiumque caede	caede
divellere?	spargere?

Iam vero si poetae verba cum interpretatione Lachmanni comparabis, illam plenam audaciae et errorum esse invenies. Neque enim „jam nunc paras“ idem est atque: adhuc tibi sedet neque „communes penates“ ita potest intellegi ut significet: nos qui una adhuc viximus. Denique nunquam persuadebit Lachmannus, in ea quae hic exstat verborum conjunctione: caede aliquid spargere verbum spargendi vim

divellendi habere neque id exemplum quod ex Valerio Flacco (II, 596) affert:

iterum Aeolios fortuna penates
spargit et infelix Scythicum gens quaerimus amnem

hunc usum comprobat, quia illic ablativus: „caede“ quo tota res dijudicatur omissus est.

Omnino autem verba: alterna caede, communes penates ad diversas personas referri nequeunt. Itaque Lachmanno, siquidem „alterna caede“ ad hostes rettulit, „communes penates“ eodem sensu erat interpretandum. Cum tamen ingeniosus ille criticus bene perspiceret, neminem ita loqui ut cum hostibus penates sibi communes esse dicat, inconstans esse maluit, quam tantam sententiae perversitatem admittere.

Eadem verborum repugnantia in proximo versu (22) inest. Quomodo enim quis post alternam caedem praemia ad patrios lares reportare possit plane ignoro, si quidem alterna caedes ea caedes est, qua et is qui pugnat, et is quocum pugnat alterna manu interficiuntur.

Reliquum est ut Guyeti conjecturam „*externa* caedes“ pro „*alterna* caedes“ scribentis quam Keilius commendat (p. 24), commemorem. Sed hac quoque emendatione recepta repugnantia inter verba „communes penates“ et „externa caede“ remanet. Nam cum „communes penates“ in hac verborum conjunctione nihil significet nisi domicilium commune Propertii et Cynthiae, quemadmodum illud externa caede adspergi possit, non perspicio.

Quae omnia si considero non possum persuadere mihi, illos versus genuinos esse, qui primum plane inutiles sunt, tum a conexu sententiarum prorsus dissentiant, denique grammaticas exhibeant difficultates maximas. Duplex autem interpolationis genus mihi videtur subesse. Primum enim versus 19—20 ab eo interpolati sunt, qui cum transitum ad alteram partem nimis abruptum existimaret, repetita primi versus interrogatione conexum illius partis expedire studuit. Tum ab altero interpolatore versus 21—22 excogitati sunt, quibus ille verba v. 20 litora *nota* explicare vellet, sed tanta

sententiarum perversitate compositi sunt, ut a sana ratione repudientur.

Aliud manifestae interpolationis exemplum ii versus praebent, qui apud Muellerum p. 70, sic leguntur: IV, 6, 21—24:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas
quae notat Argynni poena Athamantiadae.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides
pro qua mactata est Iphigenia mora.

Ac versus 23—24 subditivos esse jam Jacobus animadvertit (p. 194), approbantibus Lindnero (annal. phil. X p. 837) Heimreichio (quaest. Prop. p. 8—9 ad III, 16, 8).

Primum enim versus 23—24 cum sono et habitu totius carminis male quadrant, in quo summam animi commotionem inesse plurimae et exclamationes et allocutiones testificentur. Haec autem verba tam jejune composita sunt, tam non affectum produnt, ut in hoc sententiarum nexu a poeta scripta esse nequeant; tum haec tota explicatio fabulae minime rationi Propertii respondet, qui exempla ex mythologia petita non uberius exponit, nisi illa cum consilio totius carminis consentiunt. Velut fabulam Herculis et Hylae (I, 20, 17—50), qua Gallum amicum admoneat, ut amatum puerum diligentius custodiat, vel III, 10 ut amorem Aurorae quo illa Tithonum senem foveat, duritiae Cynthiae qua illa ipsum juvenem stimulet, opponat. Sed quomodo mactata illa Iphigenia cum Paeto aqua merso cohaereat, alii explicent, equidem me nescire confiteor.

Nec minus suspiconem movet res ipsa, quae narratur. Nam verba: „pro qua mora mactata est" non possunt aliter intellegi atque de ea mora qnae hoc juvene amisso Agamemnonis curis classi extitit. Id autem cum solita fabula repugnat, qua non Argynnus aqua mersus sed violata Diana causa morae fuisse traditur cur Iphigenia hostia concideret. His de causis non dubito quin Jacobo Lindnero Heimreichio assentiendum sit.

Jam vero in praecedentibus versibus (21—22) viri docti quomodo desudaverint, consideremus. In codicibus enim sic legitur:

qua notat Argynni poena minantis aquae.

Haec verba cum per se nullum sensum praebeant, emendanda esse facile perspicies. Ac primum Scaligerum commemoro qui scripsit:

quae notat Argynni poena natantis aqua.

Quae conjectura propterea mihi videtur inepta esse, quod „aqua“ ad „natare“ appositum prorsus supervacuum est, neque usquam Propertius „aqua natare“ dixit; is enim aut natare absolute ponit, aut accuratius ubi quid natet significat. Sic bis in hac elegia absolute:

v. 8. et nova longinquis piscibus esca natat.
17. quid cara natanti mater in ore tibist?
item IV, 11, 32 totque hiemis noctes totque natasse dies.
V, 1, 116 et natat exuviis Graecia pressa suis.

Accuratius exprimuntur III, 7, 52 calathis natare III, 20, 24 in portu natare, III, 28, 17 vado Maeandri natare, IV, 22, 13 inter saxa natare. Nusquam autem simpliciter „aqua natare“ invenies.

Post Scaligerum, ut alios omittam, Lachmannus in majore editione (p. 253) hanc distichi formam edidit:

Sunt Agamemnonias testantia litora curas:
quae notat Argynni poena minacis aquae.

Sed in hac structura verborum ferri non potest, quod genetivus: minacis aquae a substantivo: litore praecedentis versus tot verbis interpositis pendet. Immo in hac verborum collocatione non potest conjungi nisi poena minacis aquae. Neque Lachmannus, quamvis esset literarum peritus, ullum ejus constructionis exemplum attulit. Eodem vitio laborat, quod in altera editione (Berol. 1829 p. 71) in textum recepit:

qua nota Argynni poena minacis aquae.

Nec magis commendatur Jacobi conjectura, quam ille in adnotationibus (p. 193) proposuit:

qua natat Argynni poena minantis aquae.

Nam ad illud structurae vitium quod bis modo reprehendi accedit, quod in verbis: poena natat nimis audax metaphora inest.

Denique Hertzbergius de reconditioribus fontibus hauriens (ex Stephano Byzantio ed. Meineckius Berol. 1849 I, p. 114.)

ex verbis: minantis aquae *Athamantiadae* excussit, ingeniosa quidem conjectura, sed et a codicum scriptura longius remota et ad sensum non satis apta. Nihil enim hoc loco refert, num Argynnus Athamantis pronepos sit, sed desideratur accuratior descriptio mortis Paeti; praeterea quod in hexametro „sunt testantia“ pro simplici forma „testantur“ usurpatur, non solum languide et prosaice dictum est, sed ne cum usu quidem Propertii convenit, quippe qui brevitati potius studeat. Quibus omnibus sententia nostra valde adjuvatur.

Sequitur ut quomodo Argynni fabulae mentio cum proximis versibus cohaereat, pauca disseram. Qua in re jam Batavi editores Propertii recte viderunt, illis versibus sententiarum nexum plane interrumpi. Quid enim sibi volunt curae illae Agamemnonis, de quibus principi loco dictum est, cum potius qua in re Argynni mors ad miseram Paeti fortunam pertineat explicandum sit? Tum quo *poena* Argynni referenda sit nescio; nusquam enim de Paeti poena cum qua illa comparari possit dictum est; et recte illud quidem; nam stultissime egisset poeta si in eo carmine quo mortem Paeti deploraret, de culpa ejus qua mortem meruit, verba fecisset. Immo non Paeto, sed pecuniae ipsi poeta jam primis versibus omnem mortis culpam tribuit.

Ergo sollicitae tu causa pecunia vitae!
per te immaturum mortis adimus iter.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur seq.

Jam vero Lindnerus (annales phil. X, 837), cum versus 21—22 Propertio vindicare studeret, eos post versum 40 transponendos esse censuit. Sed quid in illo sententiarum nexu significent prorsus non intellegitur. Illic enim de naufragio Graecorum de victa Troja redeuntium et de erroribus Ulixis agitur, ut contra maris insidias neque fortitudinem neque dolos aliquid valere demonstretur. In tali, opinor, conexu neque curae Agamemnonis neque Argynnus aqua mersus ullum locum habent.

Nunc illa sola quaestio restat, sed ea vel gravissima ut de argumento fabulae ipso disputemus. Propertium enim

hac fabula Argynnum mari mersum finxisse et Paetus ille mari obrutus (v. 12):

nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.

et verba ipsa versus 21:

sunt Agamemnonias testantia *litora* curas

demonstrant. Ab hac autem fabulae compositione testimonia veterum scriptorum, quae quidem nobis supersunt, prorsus dissentiunt. Ac vetustissima fabulae mentio ad Phanoclem refertur testimonio Clementis Alexandrini in protreptico 32 (cf. Bachii fragmenta Philetae Hermesianactis Phanoclis ed. Halae 1829 p. 204):

Φανοκλῆς δὲ ἐν Ἔρωσιν ἢ Καλοῖς ἱστορεῖ Ἀγαμέμνονα τῶν Ἑλλήνων βασιλέα Ἀργυννίδος νεὼν Ἀφροδίτης ἵστασθαι ἐπ' Ἀργύννῳ τῷ ἐρωμένῳ.

ubi tamen de morte Argynni nihil additur. Accuratius hanc fabulam explicant Athenaeus (XIII, 80 p. 603 D.):

Ἀγαμέμνονα δὲ Ἀργύννου ἐρασθῆναι λόγος, ἰδόντα ἐπὶ τῷ Κηφισῷ νηχόμενον ἐν ᾧ καὶ τελευτήσαντα αὐτὸν — συνεχῶς γὰρ ἐν τῷ ποταμῷ τούτῳ ἀπελούετο — θάψας εἵσατο καὶ ἱερὸν αὐτόθι Ἀφροδίτης Ἀργυννίδος.

et Stephanus Byzantius ed. Meineckius Berol. 1849 I, 114:

Ἀργύννυον . . . . . . (*ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Βοιωτίᾳ* Meineckius in adnotatione supplet) *Ἄργυννος υἱὸς Πεισιδίκης τῆς Λεύκωνος τοῦ Ἀθάμαντος τοῦ Σισύφου τοῦ Αἰόλου ἐρώμενος Ἀγαμέμνονος Βοιωτὸς ὃς ἀνιὼν εἰς τὸν Κηφισὸν τελευτᾷ ἀφ' οὗ Ἀργυννίδα τὴν Ἀφροδίτην ἐτίμησε.*

ex quibus flumine Cephisso Argynnum mersum esse clarissime elucet. Praeterea ejusdem fabulae Plutarchus in Gryllo mentionem facit (ed. Duebnerus Parisiis 1841 II, p. 1212):

Ὁ δ' Ἀγαμέμνων τὴν Βοιωτίαν ἐπῆλθε κυνηγῶν τὸν Ἄργυννον ὑποφεύγοντα καὶ καταψευδόμενος τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πνευμάτων εἶτα καλὸν καλῶς ἑαυτὸν βαπτίζων εἰς τὴν Κοπαΐδα λίμνην ὡς αὐτόθι κατασβέσων τὸν ἔρωτα καὶ τῆς ἐπιθυμίας ἀπαλλαξόμενος.

cujus testimonium propterea hoc loco adhibui, quia Broukhusius verbis *κυνηγῶν — πνευμάτων* Argynnum mari obrutum comprobari adnotavit p. 246.

Sed participia illa *κυνηγῶν καὶ καταψευδόμενος* cum

per particulam *καὶ* conjungantur ad idem tempus spectare necesse est, ut germanice vertam: dem fliehenden Argynnus nachjagend und *dabei* Wind und Wellen fälschlich beschuldigend. Atqui cum participium *κυνηγῶν* ad vivum Argynnum pertineat, participium *καταψευδόμενος* eodem tempore non potest de mortuo Argynno intellegi. Neque magis hoc proxima verba Plutarchi suadent, immo ipsa Copaidis lacus commemoratio — in quem Cephissus infunditur — Plutarchum solitam fabulam secutum esse comprobat.

Ex poetis Romanis hanc fabulam tangit Martialis (ed. Schneidewinus Lipsiae 1871) in epigrammaton libro VII, 15.

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis
et fugitat dominam Naida, numquid Hylas?
O bene quod silva colitur Tirynthius ista
et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes Argynne ministres
nil facient Nymphae, ne velit ipse cave.

de quibus pluribus disputavit Huschkius in analectis literariis (ed. Lipsiae 1826 p. 302 seq.) Nullum igitur exemplum extat, quo mari Argynnum obrutum esse confirmetur. Quodsi quis hoc loco dicat: perdita sunt carmina ejus poetae qui illam fabulae formam edidit id mihi respondendum videtur: cur ne unus quidem e tanto scriptorum numero illius testimonium secutus est? De Callimacho vero cogitari nequit. Nam permirum esset, si Propertius qui tot carminibus imitatorem Callimachi se profiteatur hoc ipso loco ab illo discessisset. Praeterea tanta erat Callimachi auctoritas ut non dubitem quin multi poetae fabulae compositionem quam ille protulit imitaturi fuerint. Itaque id solum restat, ut *contra* solitam fabulam Propertius ipse Argynnum mari mersum esse finxerit, quod quam periculosum sit cum ei poetae tribuamus, qui in rebus mythologicis imprimis versatus sit per se ipsum satis est perspicuum. Atque Hertzbergius quidem in hac re quidlibet poetae audendi potestatem facit, qui ad III, 30, 35 ubi de amore Paridis et Veneris agitur, in commentario (p. 219) sic adnotat: Nos vero omnia sicut in libris scripta sunt, sarta tecta habemus quia hic ut toties uni huic poetae nostro doctissimo notitiam ejus amoris (scil. Paridis

et Veneris) deberi minime invidemus. Recte autem Ungerus (analecta Philetaea et Propertiana Neubrandenburg 1850 p. 18.) contra illius interpretationem disputare mihi videtur cum dicat: Laudem doctrinae metiendam esse non audacia fingendi sed rationum probabilitate quas secutus poeta novam et inauditam fabulam induxisse videatur.

Eandem sententiam Mauricius Hauptius profitetur qui in quaestionibus Propertianis (opusc. II, p. 60) dicit: cavendum esse ne Propertium obscuras fabulas secutum aut neglegenter diversa promiscuisse credamus. Cum quibus equidem prorsus consentio. Cur enim Propertium a solita fabula decessisse et quamlibet novam induxisse existimemus cujus ne ratio quidem cur sit excogitata ulla probabilis extet?

Idem dicendum est de poena natantis Argynni (v. 22), de qua nihil apud veteres scriptores legitur, ita ut eam quoque fabulam Propertium commentum esse statuamus necesse sit.

Sed jam satis de Hertzbergii ineptiis dictum est. Equidem profecto si considero quantis difficultatibus grammaticis illi versus laborent, quantopere a sententiarum nexu discrepent, quam non fabula ipsa cum ea rerum narratione quae apud omnes alios scriptores legitur, congruat, facere non possum, quin a Propertio eos abjudicandos et pro interpolatione satis quidem perversa et audaci habendos esse censeam.

Inde autem interpolatorem profectum esse conjicio ut querelas poetae de juvene aqua merso exemplo alio scil. querelis Agamemnonis de Argynno aqua merso explicare vellet, satis male Propertii doctrinam mythologicam imitatus, quippe qui Argynnum in flumine Cephisso lavantem interiisse ignoraret. Huc etiam conexum haerentem et quod curae illae Agamemnonis primo loco commemorantur referendum esse arbitror. Sequentes autem versus ab alio interpolatore additos esse verisimile est, qui cum Argynni exemplum quo spectaret, nesciret, cetera quae plane absurda sunt confabulatus est.

Jam versibus illis ejectis non solum sententias celerius currere videbis sed etiam verba versus 25: „reddite corpus

humo“ facilius ad Aquilonem et Neptunum referuntur, cum duo tantum disticha scil. versus 17—20 intercedant. Paeti autem appellationem toto carmine saepe interpositam cum Barthio (p. 206) ita explico: Id unum modo tenendum est, Paetum poetae amicum phantasiae Propertii semper praesentem inhaerere adeo ut qualibet occassione ad eum recurrat.

Quibus ita disputatis de sequentibus versibus pauca adjungamus. Codicum enim scriptura versus 29 haec est:

ite rates curvae et leti texite causas.

Quae verba cum propter metricas rationes sic scripta ferri nequeant, omnes fere qui Propertium ediderunt, Passeratii conjecturam amplexi sunt, qui ita versum restituit:

ite rates curvas et leti texite causas.

Sed hoc modo si emendamus prorsus perversa est particula copulativa *et*: Nam sententiam verborum ipsam per se si respicimus „leti causas“ appositionis loco accipiendum esse apparet: ite rates curvas leti causas texite pro: ite, rates curvas aedificate quae vobis causae mortis erunt, ita ut verbum finitum „texite“ se applicaverit ad appositionem: leti causas. Illud autem: rates curvae *et* leti causas texite nullam habet probabilitatem. Alia quidem ratione Broukhusius qui Gronovium sequitur (p. 244) interpretatur; contendit enim illa verba hoc modo esse conjungenda: ite et rates curvas leti causas texite. Sed nunquam ne doctissimo quidem viro id concedi debet, ut propter vilem conjecturam totam latinitatem pervertat. Quae est enim illa latini sermonis lex ut, si duo accusativi per et conjuncti ab uno verbo transitivo pendent alter appositionis loco accipiendus sit? Prorsus talis licentia rejicienda est.

Qua de causa Passeratii conjecturam quamvis sit facilis improbo et codicum scripturam retinere malim quae multo melius cum sententiarum nexu et cum consilio totius carminis quadrat. Nam primum commoti et fluctantis animi magis proprium est, rates ipsas sicut primis versibus pecuniam appellari, tum ironia qnae in illis quattuor versibus 29—32 inest, majorem vim accipit, si poeta naves ipsas

quam si homines alloquitur. Quare codicum potius vestigia sequenda et in initio versus verba:

ite rates curvae

retinenda esse censeo. Iam ex iis qui hanc viam emendationis ingressi sunt, primus quantum scio, Fischerus (quaestiones Propertianae Bonnae 1863) hanc versus formam protulit p. 26:

ite rates curvae et leti praetexite causas

loco Aeneidis IV, 172 allato. Sed praetexite si scribitur, totius loci sententiam pervertimus. Non enim poeta naves adhortatur ut causas mortis celent, sed ut novas causas texant id est aperiant, comminiscantur. Hominum ipsorum ita ironice addit culpam esse, quod mortis causas augeant, quippe qui terra non contenti mare percurrant. Quam loci sententiam Heimreichium (Novae quaest. Prop. Symbola p. 670) recte perspexisse arbitror cum emendaret:

ite rates curvae et leti nunc texite causas.

Neque tamen plane illi assentior. Nam formulam illam irrisionis quam Heimreichius per „ite et nunc" expressit, falsam esse ex exemplis quae apud Propertium inveniuntur, elucet. Aut enim collocatio „i nunc et" invenitur aut „i nunc" cum sequentibus ἀσυνδετως conjungitur:

I, 9, 3: i quaeso et tristes istos compone libellos *)
III, 27, 22: i nuuc et noctes disce manere domi.
IV, 17, 17: i nunc tolle animos et tecum finge triumphos.

Iam Ovidium audiamus qui persaepe illa figura utitur:

heroid. III, 24: i nunc et cupidi nomen amantis habe.
XVI, 57: i nunc et Phrygiae late primordia gentis
cumque suo Priamum Laomedonte refer.

ἀσυνδέτως heroid. IV, 127. XII, 202 am. I, 7, 35. III, 3, 1.

IV, 127: i nunc sic meriti lectum reverere parentis.
XII, 202: i nunc Sisyphias improbe confer opes.
am. I, 7, 35: i nunc magnificos victor molire triumphos.
III, 3, 1: esse deos i crede (omissa particula: nunc).

Quare nihil restat, nisi ut compositum verbi texendi a

*) haec verba eandem vim habere quam formulam „i nunc et" qui hunc locum comparabit cum heroid. III, 24 perspiciet.

poeta scriptum esse conjiciamus, cumque „praetexite" ineptum esse supra demonstratum sit, duo huc pertinent „contexite" et „detexite", e quibus illud vim comminiscendi hoc vim complendi habet. Cum tamen in versu 32 non tam de complendis viis mortis quam de augendis agatur, contexite praefero quod comminiscendi notio illam augendi significationem per se continet. Emendandum igitur censeo:

ite rates curvae et leti contexite causas.

Facillime autem fieri potuit, cum „contexite" per compendium scriptum esset, ut praepositio *con* omitteretur, qua de re nihil addam, cum permulta ejus generis vitia in nostris libris manuscriptis extent.

Nunc ad cetera tertii quartique libri exempla accedamus. Incipio ab:

III, 1, 1—12.

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis
et campum Emathio jam dare tempus equo.
Jam libet et fortes memorare ad proelia turmas
et Romana mei dicere castra ducis.
Quodsi deficiant vires audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Aetas prima canat Veneres extrema tumultus,
bella canam quando scripta puella meast.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu
nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili jam carmine, sumite vires
Pierides: magni nunc erit oris opus.

Hoc carmen duplex exordium quin habeat vix dubito. Poeta enim ita exorditur ut se ad novum genus poeseos accessurum esse profiteatur. Hanc sententiam quattuor versibus exponit, quibus duos addit, quibus quod materiae impar sit excuset. Prooemium hac sententia ex omni parte perfectum est et exspectamus poetam carmen ejus generis, de quo modo praefatus est, intonaturum esse. Quid autem in nostris libris legitur? Quasi nihil esset prolocutus poeta denuo insurgit, et eandem sententiam eadem ratione duobus distichis repetit, quae iterum ut supra uno disticho concluduntur quo de humilitate elegiacae de sublimitate epicae

poeseos verba facit. Habemus alterum exordium pari sententia, pari numero versuum, pari compositionis genere. Ac poetam duobis illis exordiis praefatum esse cum per se ipsum non sit verisimile tum ea de causa probari nequit, quod inter primum et secundum prooeminm nullus conexus intercedit. Id igitur solum restat, si quidem poeta illos versus composuit ut ad marginem libri sui eos adnotaverit, unde in textum ipsum postea irrepserunt. Sed haec quoque sententia parum habet probabilitatis nisi Hertzbergium sequimur, qui omnes libros praeter primum ab amicis Propertii editos esse censet (quaest. Prop. p. 222 seq.) Praeterea si singulas versuum similitudines respicies, — respondent enim in iisdem locis collocata: quodsi deficiant vires v. 5. Jam sumite vires v. 11. in *magnis* et voluisse sat est v. 6. *magni* nunc erit oris opus v. 12. — vix poteris dubitare quin alterutrum exordium spurium sit habendum. Quod num aliis quoque causis confirmari possit in sequentibus disputabimus.

Atque quartum distichon quod incipit a verbis: aetas prima canat Veneres jam Heimreichius (quaest. Prop. p. 29) interpolatum esse cognovit. Nam quamquam in verbis pauca insunt (et in talibus interpolationibus inesse solent) quae a Propertii usu dicendi aliena sint, tamen in hoc disticho ad interruptum conexum accedit, quod pluralis: Veneres nusquam apud Propertium et apud ceteros poetas elegiacos invenitur. Sed in universum sermonis concinnitatem si spectamus, quantum simplicitas et elegantia versuum 1—4 a tumido et contorto dicendi genere quod in versibus 7—10 inest, differat, facile apparet:

v. 1—4: tempus est lustrare et dare
libet memorare et dicere.
v. 7—10: aetas canat — canam
volo procedere — me Musa docet.

Denique inflatum orationis genus etiam versus 11—12 ostendunt, in quibus eodem spiritu et anima et Pierides invocantur.

Quae omnia si recte aestimaveris, non poteris dubitare quin versus 11—12 pro rhetoris cujusdam interpolatione habendi

sint, qui imitatione genuini exordii sententiam et verba poetae duplicavit.

III, 6, 11—12:

At dum demissio supplex cervicibus ibam
dicebam sicco vilior esse lacu.

Nicolaus Heinsius in notis criticis ad Propertium, quae Burmannus cum libello ejus „adversaria“ inscripto edidit, Guyetum qui versus III, 6, 11—12 suspectos habuit refutat. Contra Gruppius in libro qui inscribitur „Minos“ (p. 509) illum reprehendit, quod non ceteros quoque versus usque ad versum 22 ejiciendos censuerit quippe qui omnes ab excitato poetae animo qui e reliquis versibus appareat, vel maxime dissentiant. At Gruppium errasse existimo. Nam cum versibus 11—16 poeta reconciliati amoris gaudiis praecedentis temporis infelicitatem opponat, quod humiliore spiritu miseram condicionem describit quis est qui miretur?

Proximorum autem versuum conexum ita tuetur Jacobus (in philologo II, p. 462) ut longiore refutatione non sit opus. Majorem vero suspicionem ultima ejusdem elegiae disticha movent: v. 29—32:

Nunc ad te mea lux veniat mea litore navis
servata an mediis sidat onusta vadis?
Quodsi forte aliqua nobis mutabere culpa
vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

ad quae jam Burmannus hiare sensum nec libros manuscriptos nec Scaligeri interpretationem rem plane illustrare adnotaverat (p. 361). Neque post Burmannum viri docti conexum probabiliter expediverunt, cum jam de verbis v. 29 quomodo essent restituenda in diversas partes discederent. Nolo tamen quaecunque ab iis allata sunt recoquere, unam Jacobi interpretationem afferre liceat, qui (p. 158) hoc modo explicat: nunc quidem poeta ne in medio cursu venti deficiant secundi navisque subsistat et commoretur precatur. Sed verba „veniat ad te mea navis“ non possunt aliter intellegi atque navis mea ad te quasi in portum invehatur, id quod contraria sententia confirmatur:

an sidat mediis vadis.

Precatur igitur poeta ut puella ipsum benigne excipiat.

Jam vero cum Cynthia ipsa reconciliata gratia maxima poetae sui amoris signa dedisset, frigidus sane amator erat Propertius si ut benigne ipsum exciperet a puella petivisset. Itaque recte Fischerum judicasse arbitror (quaest. Prop. p. 10—11) quod non ut felix fieret, sed ut fortuna secunda stabilis esset poetae optandum fuisse pronuntiavit, vel imaginis verbis ut utar: minus, ut navem illa portu reciperet, sed ut navis tuta in eo portu remaneret.

Neque magis verba v. 31—32 ad hanc elegiam pertinent. Stultissimus enim esset amator, qui vixdum in gratiam puellae receptus discidii instantis mentionem faceret, sicut noster verbis:

quodsi forte aliqua nobis mutabere culpa.

Qua de causa ab hac elegia illos versus removendos esse censeo. Utrum tamen ab interpolatore ficti an potius pars deperditi carminis habendi sint, quae est Fischeri sententia, certo dijudicari nequit, quod in verbis offensio nulla inest; attamen si probabilitatem sententiarum quaerimus, equidem interpolatoris operae quippe cui carmen nondum perfectum videretur, hos versus adscribere malim quam novi carminis fragmentum agnoscere.

III, 19, 27—30.

Parvo dilexit spatio Minoida Theseus
    Phyllida Demophoon hospes uterque malus.
Jam tibi Jasonia notast Medea carina
    et modo servato sola relicta viro.

Versus 28—29 duabus potissimum de causis in suspicionem vocavit Heimreichius (Novae quaest. Prop. Symbol. p. 680), primum quod non congruerent cum fabula III, 14, 11—12 explicata:

Colchida sic hospes quondam decepit Jason
    ejectae tenuit namque Creusa domum.

deinde quod Theseus hospes Minois regis vocari nequeat. At non de Minoi agitur sed de Minoide. Minoidis autem hospes Theseus eodem jure vocari potest, quo Demophoon Phyllidis hospes dicitur. cf. Ovid. heroid. II, 1. 57. 108. 147. Neque repugnant verba cum solita fabula dummodo „sola relicta“ pro: deserta, prodita accipias. Optime autem nostrum

locum tuetur Ovidius qui in simili conexu inter puellas a viris deceptas has tres refert Ars III, 33:

Phasidiam matrem fallax dimisit Iaso
venit in Aesonios altera nupta sinus.
Quantum in te Theseu volucres *Ariadna* marinas
pavit in ignoto sola relicta loco!
Quaere novem cur una viae dicantur et audi
depositis silvas *Phyllida* flesse comis.

quibus Didonem addit v. 39—40 ex Aeneide tunc (cf. Trist. lib. II, 533—36) notissimam:

Et famam pietatis habet, tamen hospes et ensem
praebuit et causam mortis *Elissa* tuae.

Non est dubium quin Ovidius ad hunc Propertii locum respexerit, praesertim in tanta versuum similitudine:

Prop. III, 19, 30. et modo servato *sola relicta* viro.
Ov. Ars III, 36. pavit in ignoto *sola relicta* loco.

cum, si quis ex Ovidio illos versus Propertii interpolasset, cur exemplum Elissae, quod Ovidius illis addidit, omissum sit, causam nullam inveniam.

III, 21, 9—20.

9. Quae tum ego Neptuno quae tum cum Castore fratri
quaeque tibi excepi tum dea Leucothoe!
At tu vix primas extollens gurgite palmas
saepe meum nomen jam peritura vocas.
Quodsi forte tuos vidisset Glaucus ocellos
esses Ionii facta puella maris.
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
candida Nesaee caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi
qui puto Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo
cum mihi discussit talia visa metus.

Neminem effugere potest conexum horum versuum non constare. Etenim quae est causa cur poeta saxo se dejiciat, siquidem delphinum puellae auxilio venientem vidit? Quare non est dubium quin Heimreichius (quaest. Prog. p. 40—41) recte judicaverit, qui versus 17—18 interpolatos esse dixit. Fortasse ne praecedentes quidem versus (13—16) servari

possunt. Male enim jocosa illa tractatio cum proximis verbis quadrat, quibus poeta summum puellae periculum describit. Muelleri autem transpositionibus rem potius intricatiorem fieri si sententiarum nexum inde a. v. 13 perscrutaberis intelleges. Omnia bene cohaerent, si reponemus v. 9—12. 19—20.

Neque tamen in eo cum Heimreichio consentio etiam versus 5—6:

(vidi te) qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
aurea quam molli tergore vexit ovis.

subditivos habendos esse. Nam primum optime illud Helles exemplum periculum in quo poeta Cynthiam versantem describit, illustrat; tum illa Helles mentio etiam necessaria est, ut sequentia verba:

quam timui ne forte tuum mare nomen haberet,
atque tua labens navita fleret aqua!

habeant quo referantur. Conexus sententiarum plane esset interruptus si illos versus omitteres. „Numen" vero quod Heimreichius (l. s. a.) ut haerenti conexui subveniret, scribendum esse conjecit, ab hoc loco alienum esse jam pentameter ejusdem distichi demonstrat. Nulla enim causa esset cur navita *fleret,* si Cynthia numen illius maris esset facta. Quibus de causis equidem illos versus (5—6) servandos esse censeo. Singulare illud graecae attractionis exemplum: vidi te qualem Hellen pro: qualis erat Helle cur a Propertio qui imprimis Graecis literis imbutus erat abjudicandum sit, non intellego nisi forte nulli poetae singulare quidquam tribuendum esse existimas.

III, 26, 3—4.

Sunt apud infernos tot milia formosarum
pulchra sit in superis si licet una locis.

Duabus de causis pentametrum suspectum habuit Heimreichius (quaest. Prop. p. 43 seq.). Primum enim praepositio „apud" hoc uno loco in carminibus Propertii legitur. Hoc casu accidisse fortasse quispiam dicat. Sed ne a ceteris quidem poetis elegiacis — quantum equidem investigare potui — praepositio illa usurpatur. Quid quod etiam iis

locis praepositio „apud“ non collocatur, ubi volgaris usus eam postulat?

Prop. IV, 7, 1. Dulcis *ad* hesternas fuerat mihi rixa lucernas
Tib. I, 10, 37—38. Illic perscissisque genis ustoque capillo
errat *ad* obsuros pallida turba lacus.

Tum non minus suspiciosum est, quod in eodem versu „inferni“ substantivi loco positum est. Unum quidem exemplum praeter illud apud Propertium exstat, sed locus dubiae fidei est et a viris doctis inde a Mureto variis modis vexatus: II, 1, 37.

Theseus infernis superis testatur Achilles
hic Ixioniden ille Menoetiaden.

Illi enim versus ita conexum sententiarum interrumpunt, ut sic a poeta siquidem ab eo scripti sunt, collocari non potuerint. Frustra eos Lachmannus servare studet hac emendatione adhibita (ed. 1816 p. 98):

Theseus infernis superis ceu fatur Achilles
hic Ixioniden ille Menoetiaden.

Sed recte jam Burmannus (p. 208) contra Beroaldum et Vulpium adnotat, aut desiderari nonnulla aut illos versus aliunde esse intrusos. Atque alteram sententiam sequitur Keilius (p. 46) qui nonnulla excidisse arbitratur. Attamen nihil in conexu sententiarum desideratur si continuamus:

35. Te mea Musa illis semper contexeret armis
et sumpta et posita pace fidele caput.
39. Sed neque Phlegraeos Jovis Enceladique tumultus
intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

Quare equidem illos ejiciendos esse existimo cumque nihil sint nisi amplificatio verborum v. 36 „fidele caput“ verisimile videtur ab interpolatore eos versus fictos esse ad haec verba exemplis illustranda.

Jam id apparet hoc solo exemplo cui quanta fides tribuenda sit modo exposuimus, illum substantivi usum non firmari, praesertim cum neque Tibullus neque Ovidius neque Horatius quamquam persaepe „infernus“ in eorum carminibus legitur unquam substantivum omiserint. Habemus igitur

singularem substantivi usum, uno sed valde dubiae fidei exemplo firmatum. Huc accedit singularis usus versus spondiaci.

Exempla enim eorum qui apud Propertium inveniuntur haec sunt:

I, 13, 31. illa sit Inachiis et blandior heroinis,
I, 19, 13. illic formosae veniant chorus heroinae,
II, 2, 9. qualis et Ischomache Lapithae genus heroine,
I, 20, 31. jam Pandioniae cessit genus Orithyiae.
IV, 6, 13. infelix Aquilo raptae timor Orithyiae,
V, 4, 71. illa ruit qualis celerem prope Thermodonta

Ex quibus elucet tantum in nominibus propriis (et raro quidem) et in graeco illo vocabulo: heroine versuum spondiacum admitti.

Quamquam autem in sententia nihil inest, quo offendas, vix tamen est credibile in uno versu poetam ter singulari ratione locutum esse. Itaque hic versus exemplo est, solis grammaticis interdum rationibus quaestionem illam utrum versus interpolati sint necne disceptandam esse.

IV, 5, 25.

Non me moribus illa sed herbis improba vicit.

Hunc versum propter sententiam Gruppius (in elegia Romana Lipsiae 1838 p. 303), propter vitiosam caesuram Eschenburgius (quaestiones Propert. Bonnae 1865 p. 28 seq.) ejiciendum esse censet. Jam vero in sententia nihil inest quod suspicionem moveat. Nam quod Cynthia herbis Propertii amorem sibi ereptum dolet, non est mirum cum ea esset superstitio illius aetatis ut si quis causam cur aliquid accideret, non inveniebat, magicis artibus id factum esse crederet. Imprimis elegiacorum poetarum carmina referta sunt talibus descriptionibus; de herbis affero Prop. I, 12, 9—10. Tib. I, 8, 17—18:

Invidiae fuimus: num me deus obruit an quae
lecta Prometheis dividit *herba* jugis?
Num te carminibus num te pollentibus *herbis*
devovit tacito tempore noctis anus?*)

---

*) Cf. etiam Tib. I, 2, 60. II, 4, 56.

Sed quo „illa“ pertineat dubitare possis. Cum tamen hoc loco de anu illa quae magica sacra instituit, cogitari nequeat, quia de ea neque verba: non me *moribus* illa vicit neque versus 34:

noctibus illorum dormiet ipsa *Venus*

intellegi possunt, nihil restat, quam ut ad aemulam ipsam referamus cui Cynthia castitatem morum opponit, quo acerbius ejus improbitatem perstringat. Eodem modo autem aemula pronomine: illa inducitur ut aemulus verbis: ille vir

II, 9, 49. ille vir in medio fiat amore lapis:

aut sola tertia persona inducitur: III, 19, 7.

contendat mecum ingenio, contendat et arte,
imprimis una discat amare domo.

Reliquum est igitur tantum singulare illud genus caesurae quam vocant *μετὰ τρίτον τροχαῖον*. Ac persaepe haec caesura a poetis usurpatur sed ubicunque ponitur aut caesurae tritemimeres et hephtemimeres accedunt, aut alterutra conjungitur. Sic caesura *μετὰ τρίτον τροχαῖον* una cum tritem. et hephtem. invenitur:

Prop. IV, 1, 27. 31. 45. 4, 13. 35. 39. 6, 9. 35. 8, 47. 9, 5. 10, 49. 11, 37. 12, 29. 43. 61. 13, 21. 14, 9. 21. 39. 15, 23. 16, 7. 19, 1. 20, 15. 27. 21, 3. 21. 22, 23.

vel caesura *μετὰ τρ. τρ.* cum hephtem.:

Prop. IV, 1, 41. 7, 23. 10, 33.

Nusquam autem sola per se collocatur. Quare Eschenburgio assentiendum videtur esse. Attamen forsitan ille versus servari possit. Nam etiam caesurae heptemimeris quae semper cum aliis conjuncta invenitur duo extant exempla, ubi sola posita est:

III, 6, 3: Nec sic errore exacto laetatus Ulixes
IV, 13, 7: Pulverulentaque ad extremas stat femina metas.

Huc tertium exemplum accedit si cum Ungero (anal. Philet. et Prop. Neubrandenburg 1850, p. 27) 1, 20, 45 sic emendamus:

Cujus ut accensae Hydriades candore puellae.

Quo de causa aut hi quoque versus a Propertio abjudicandi sunt, aut versus IV, 5, 25 cum illis retinendus est.

IV, 15.

Conexum hujus elegiae variis modis disturbaverunt Fischerus (quaest. Prop. p. 3—5) Heimreichius (novae quaest. Prop. Symbol. p. 671), quorum alter ultimam ejus elegiae partem inde a. v. 21—30 post v. sextum inserendam esse arbitratur (Fischerus p. 4), alter omnino ad carmen pertinere negat (Heimreichius p. 671). In eo tamen consentiunt versus 19—20 post versum 14 collocandos esse quod in illius distichi sententiam carmen exire non possit. Eandem transpositionem commendat Drenckhahnius (compositio strophica quarti libri Stendaliae 1868, p. 1—2).

Sed omnia bene cohaerent; tres enim partes elegiae discernuntur, pari numero distichorum compositae. Ac primae partis distichis (v. 1—10) quid agatur in hoc carmine exponitur. Cynthia media nocte poetam epistula missa adhortata est, ut statim Tibur proficiscatur; poeta noctis et viae pericula metuens quid facturus sit haesitat, cum tamen irae Cynthiae recordetur, a qua totum annum se rejectum esse profitetur, animum inducit ut iter faciat. Timorem autem hac argumentatione sedat: se non esse moriturum, quia Venus et Amor amantes custodiant; hanc sententiam quinque distichis persequitur (versibus 11—20). Jam vero inter ipsam argumentationem metus ille mortis quem ratiocinatione sua poeta non prorsus oppressit, in animum relapsus est. Inde fit ut cum illum iterum ejicere studeat sic pergat: sin autem moriatur, funus sibi honestum a puella fore; hanc quoque sententiam quinque distichis explicat (versibus 21—30).

Ac transitum ad alteram sententiam versus 19—20 parant, non temere hoc loco collocati; nam cum poeta eam sententiam qua hanc partem incepit in fine ejus repetat, quodammodo ipse de sua argumentatione dubitare videtur. Saepissime enim sub maxima fiducia qua quis sententiam proloquitur, summus timor latet. Ad eundem fere sensum Jacobi interpretatio spectat, qui de conexu hujus carminis pluribus disseruit (in philologo II, p. 457—58).

Restat ut de ultimis elegiae versibus quid sit judicandum exponamus. Atque codicum verba haec sunt.

27: Post mortem tumuli sic infamantur amantum
me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulus*) vallatus arenae:
non juvat in media nomen habere via.

Ex quibus versum 29 plane corruptum esse statim apparet; quomodo autem genuina poeta verba restituenda sint valde est ambiguum; Ac Lachmannus cum nihil mutare auderet hanc versus formam in textum recepit (ed. 1816, p. 303. 1829, p. 85):

aut humer ignotae cumulis vallatus arenae.

Sed primum inconcinnitas quaedam sermonis inest, quod poeta dicit: me tegat — aut humer — non juvat, exspectatur: me tegat — me humet — non juvat; deinde id quod codices exhibent (N. cumulus G. tumulus) ex versu 27, cum oculi librarii aberrarerent petitum esse vix quemquam effugere potest; denique non est credibile tam foedam imaginem qualis inest in verbis: cumulis ignotae arenae quasi vallo circumdatum humari a poeta ipso excogitatam esse. Eadem nisi quod „humet“ recte scripsit, in Hertzbergii conjecturam cadunt, qui (p. 344) protulit:

aut humet ignotae cumulus vallatus arenae.

Nec tamen Heimreichio assentior qui (novae quaest. Prop. Symbol. (p. 671) versus 29—30 plane e conexu ceterorum removendos esse arbitratur. Sed ita poetam scripsisse existimo:

aut humet ignotum vili me litus arena

eo sensu ut inter se opponantur:

devia terra arborea coma me tegat et
ignotum litus vili arena me humet.

Atque cumulum vel tumulum e versu 27 desumptum esse jam supra dictum est; vilem arenam autem ipse noster agnoscit: IV, 7, 26:

Paetum sponte tua vilis arena tegas.

Quae si concedes cetera facile per se ipsa intelleguntur.

---

*) cumulus Neap. tumulus Gron.

IV, 22, 1—6.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmus aqua.
Dindymus et sacra fabricata e vite Cybebe*)
raptorisque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes
nec desiderio, Tulle, movere meo,
Tu licet adspicias seq.

Initium elegiae variis de causis suspiciosum est. Primum igitur versus 1—4 plane supervacui sunt, cum ad sententiam quinti versus nihil afferant. Tum verba: Dindymus et quae sequuntur cum praecedentibus nullo modo conjuncta sunt. Aliter quidem de hac re Hauptius disputat (opusc. II p. 63 seq.), qui secundum distichon cum tertio ita conjungit, ut verba „si te forte juvant“ *ἀπὸ κοινοῦ* posita sint.

Sed in hac quoque verborum structura primum quidem distichon a proximis plane solutum et otiosum esse elucet.

Jam vero Hauptii sententia rejecta si versus 1—4 accuratius consideramus ne conexum quidem inter eos et sequentes intecedere reperiemus. Nam quomodo illa versuum 1—4 sententia: jam tot annos, Tulle, amoenitate illarum regionum delectatus es cum sententia proximorum versuum: quamvis urbes Propontiaci maris tibi placeant, nullus tamen locus Romae pulchritudine praestat, cohaereat, equidem non perspicio. Huc accedit quod poeta in versu quinto tantum de *urbibus* Propontiaci maris loquitur, ceterorum quae praecedunt: „Dindymi montis, sacrorum Cybebae, viae illae quae Ditis raptoris equos tulit“ ratione nulla habita, qua re nimirum ostendit, ab hoc demum versu elegiam initium cepisse. Inde etiam repetitionem nominis Tulli v. 2 et v. 6. ortam esse judico, quae etiamsi ipsa per nullam habet difficultatem cf. Prop. I, 13, 2. 4. tamen si ad reliquas causas accedit suspicionem auget. Denique ut ad verba ipsa accedamus praeter frigidam Cyzicum versus primi quam ut explicarent frigida excogitaverunt Broukhusius (p. 313) Bur-

*) Ita Hauptius Muellerus.

mannus (pag. 684), pessime fictus est versus tertius qui maximas viris doctis difficultates exhibuit.

Atque codicum scripturam (Lachmanni editio 1829, p. 91):

Dindymus et sacra fabricata inventa Cybebae

cum nullum praebeat sensum emendandam esse facile intelleges. Jam Lachmannus ipse Vossio auctore (ad Catullum p. 161), assentiente Jacobo (p. 209) sic verba restituit (ed. 1816 p. 322):

Dindymus et sacrae fabricata juvenca Cybebes

(1829 Cybebae). At Hertzbergius (p. 375) cum sacra Cybebe pro sancta Cybebe latine dici negaret hoc modo versum emandavit:

Dindyma sacra Rheae et fabricata juvenca Cybebae.

Quos omnes refutat Hauptius (quaest. Prop. 1854 opusc. II, p. 65), sed quod ipse e Strabone (XII, p. 575) et ex Apollonio Rhodio (I, 1118 seq.) conjecit:

Dindymus et sacra fabricata e vite Cybebe

conjecturae quamvis bonae probabilitatem non excedit. Denique Kochius (Symbola philol. Bonn. p. 361) cum Hauptii conjecturam refutaret, ita hunc versum emendavit ut scriberet:

Dindymus et sacro celebrata in vertice mater.

quae verba quamvis aptum sensum praebeant nimis tamen longe a codicum scriptura absunt.

Quae omnia si recte ponderabis, facere non poteris, quin illa duo disticha quae in initio elegiae posita sunt, ab interpolatore profecta esse existimes. Hanc sententiam jam Guyetus in notis suis ad Propertium pronuntiavit, et Gruppius in libro cui „Minos“ inscripsit (p. 509) eam comprobavit. Ita autem interpolatorem egisse veri est simile, ut sententiam e versu quinto desumptam nulla ceterorum versuum conexus ratione habita amplificaret, et huic carmini quasi exordium praefigeret. Inde fluxere discrepantia sententiarum molesta repetitio nominis Tulli, ceteraque omnia quae de fabricatis inventis Cybebae in tertio versu leguntur. Interpolatorem ipsum de fabricatis Cybebae in illa regione inventis cogitasse suspicor, id est de rebus sacris quae a sacerdotibus deae iis

qui loca illa viserunt tamquam deae ipsius manu factae ostendebantur. „Fabricatum“ substantivi loco usurpatum et „sacra Cybebe“ pro „sancta Cybebe“ interpolationem paullo recentiorem esse quam ceteras declarant.

Haec imprimis habui quae de versibus spuriis tertii quartique libri Propertii dicerem. Non ignoro multa praeterea ejus generis exempla a viris doctis allata esse sed in tanta materiae copia aptius videbatur, ea quae accuratiore argumentatione digna erant, eligere. Satis igitur habeo, quaecunque in ordine ceterorum carminum praetermisi hoc loco referre. Ex tertio libro restant:

III, 3, 10 pharetra ex humero Gnosia utroque jacet,
13, 23—24. interea nobis nonnunquam janua mollis
nonnunquam lecti copia facta tui.

de quibus Keilius dixit in dissertatione Bonnensi p. 53. Versus III, 24, 7—8.

Hoc perdit miseras hoc perdidit ante puellas
quidquid jurarunt ventus et unda rapit.

Heimreichius suspectos habuit (novae quaest. Prop. Symbol p. 681). Idem carmen III, 32 omnibus modis interpolatum esse demonstrare studuit (quaest. Prop. p. 48 seq.). Quarti libri suspecti sunt praeter eos versus de quibus supra disputatum est IV, 3, 15—18.

Inque sinu carae nixus spectare puellae
incipiam et titulis oppida capta legam
Tela fugacis equi et bracati militis arcus
et subter captos arma sedere duces

quos Keilius quidem satis habuit transposuisse (quaest. Prop. p. 35—40 et ephemerid. antiquit. Halae 1845 Nr. 67, p. 530 in recensione editionis Hertzbergianae) qui tamen mihi potius ad lacunam inter v. 14 et v. 19 explendam ab interpolatore videntur excogitati esse. Nec minus speciem interpolationis praebent v. IV, 10, 59—60:

Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis
et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

praesertim cum lacunam in codice archetypo ante hos versus fuisse praecedens pentameter:

femineas timuit territa Marte minas

indicet, qui a codice Neapolitano omissus ab interpolatore codicis Groningani nulla sententiarum nexus ratione habita fictus est, quam quaestionem accuratius excussit Heimreichius (quaest. Prop. p. 7—8). De versibus IV, 7, 25—26:

Tecta superciliis siquando verba remittis
aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Lachmanno qui eos spurios esse comprobavit (ed. 1816 p. 216) primo assentitur Jacobus (p. 194). Idem postea sententiam mutavit et illos versus contra Lachmannum defendit (in philol. II, p. 446 seq.) sed operam mihi quidem perdidisse videtur. Denique ne quid praeteream quod de hac re scriptum est, duos loco safferam quos Heimreichius indagavit IV, 9, 23—26 (quaest. Prop. p. 12—13).

Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
et sint nequitiae libera verba tuae,
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos,
publica vicinae perstrepat aura viae.

IV, 20, 18—19. (novae quaest. Prop. Symbol. p. 681)

et caput argutae praebeat historiae,
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae.

quae quidem hoc loco accurata argumentatione vel confirmare vel redarguere longum est. Id tamen ex omnibus quae disputavi apparere existimo, etiam Propertium in iis poetis numerandum esse, quorum carmina multis antiquissimorum temporum interpolationibus deformata sunt, quamquam de nonnullis quae viri docti eruerunt, dubitari posse quaedam etiam refutanda esse libenter concedo.

Vita.

Natus sum Karolus Hermannus Maximilianus Weber Merseburgi a. MDCCCLIV d. XXV. m. Julii patre Karolo scriba aerarii regio matre Amalia e gente Behrens quorum utrumque superstitem esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Merseburgense adii et per annos quattuor et dimidium frequentavi; quinque annos scholae Portensi addictus fui. Hinc maturitatis testimonio instructus primo vere a. MDCCCLXXIII Halam me contuli ut studiis philologicis operam darem. Audivi per tria semestria v. c. Bernhardyum, Keilium, Erdmannum. Inde in universitatem Lipsiensem transmigravi et per annum scholis Ritschelii, Curtii, Drobischii, Voigtii, Wuttkii, Ecksteinii, Lipsii interfui. Halam reversus autumno MDCCCLXXV scholas frequentavi Dittenbergeri, Hilleri, Haymii, Kirchhoffii, Dümmleri, Droyseni. Sodalis fui seminarii philologici; praeterea Haymius, Kirchhoffius, Dümmlerus, Droysenus, benigne ut societatum particeps essem permiserunt. Quibus omnibus viris clarissimis gratiam quam debeo maximam libenter hoc loco profiteor.

Sententiae controversae.

I.

Lucretii versus II, 693. (ed. Bernays) sp[redacted]

II.

Propertii versus IV, 4, 15—18 (ed. Mueller) interpola… sunt.

III.

Poetas elegiacos Romanos novas fabulas mythologicas finxisse nego.

IV.

In versu Oedipi Colonei 1094 (ed. Nauk) θέᾳ τέρψουσα scribendum censeo.

V.

Iweinii versus 74 (ed. Lachmann-Benecke) ita emendandus est ut praeteritum pro praesenti tempore collocetur.

VI.

Appianum in iis quae de custodia corporis A[redacted] senatu data narrat (bell. civ. III c. 4—5) errasse [redacted]